



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

Art. II. De actibus internis religionis,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

tanquam primo omnium principio, quia honor A
qui Deo exhibetur ut patri, & principio nostræ
originis, pertinet ad virtutem pietatis; qui verò
ipsi ob beneficia ab eo accepta tribuitur, spectat
ad virtutem gratitudinis, quæ formaliter respicit
beneficium: sed cultus, qui Deo debetur ob sin-
gularem & infinitam excellentiam in omni gene-
re perfectionis, ex qua ipsi competit esse primum
principium, supremumque omnium Dominum,
à virtute religionis exhibetur. Unde objectum
materiale hujus virtutis est cultus Deo conve-
niens, consistens in actionibus internis vel exter-
nis, quibus Dei excellentiam protestamur, ado-
rando, laudando, sacrificando, &c. objectum
verò formale illius est specialis honestas, seu con-
venientia cum recta ratione, quæ est in eo quod B
supremæ excellentiæ divinæ reddatur honor, &
cultus illi conveniens. Quæ ratio distinguit vir-
tutem religionis ab aliis virtutibus, seu Theolo-
gicis, seu moralibus; quippe quæ non versantur
circa tale objectum formale, nec exercentur ad
exhibendum Deo honorem, ob supremam ejus
excellentiam, sed propter alia motiva particula-
ria, putà ob supremam ejus veracitatem, aut infi-
nitam bonitatem.

Ex his intelliges, quanta sit præstantia virtutis
religionis supra alias morales: nulla quippe ea-
rum habet objectum ita elevatum, sicut est divi-
nus cultus, ratione cuius ipsa religio Deum quo-
dammodo attingit. Unde Divus Thomas hic qu.
81. art. 6. in corp. sic discursit: *Ea quæ sunt ad fi-*
nem sortiantur bonitatem ex ordine in finem; &
idèò quando sunt fini propinquiora, tantò sunt
meliora: virtutes autem morales sunt circa qua
ordinantur in Deum sicut in finem: religio autem
magis de propinquo accedit ad Deum, quàm alia
virtutes morales, inquantum operatur ea quæ di-
rectè & immediatè ordinantur in honorem divi-
num: & idèò religio præeminet inter alias vir-
tes morales.

Intelliges etiam, religionem non esse virtutem
theologicam, sed moralem: nam virtus theolo-
gica habet ipsum Deum pro objecto quod & im-
mediato, ut patet in fide, spe, & charitate; illæ
enim respiciunt & attingunt Deum immediatè,
& tanquam objectum quod; fides quidem ut su-
premam veritatem; spes ut summum bonum no-
strum; charitas verò ut summum bonum in seipso,
summq; amabilem propter se. At religio ali-
quid creatum immediatè respicit, nimirum cul-
tum qui Deo offertur, ut termino & fini cui; di-
vina autem excellentia est solùm ratio ob quam
Deo debetur talis cultus, non verò objectum
formale & immediatum religionis. Potestque
id explicari & illustrari exemplo justitiæ com-
mutativæ, quam unus homo habet ad alium: si-
cut enim objectum talis justitiæ, nec est ipse pro-
ximus, nec jus existens in illo, sed res quæ ex
tali jure proximo debetur; sic objectum religio-
nis, quæ est justitia hominis ad Deum, neque
est ipse Deus, nec jus quod habet, ratione sum-
mæ excellentiæ, ut summè à creaturis colatur, sed
ipse creatus cultus, debitus propter talem excel-
lentiam.

ARTICVLVS II.

De actibus internis religionis.

D Vo tantum sunt actus interni religionis, de
quibus agit S. Thomas hic quæst. 81. & 83.
Primus est devotio, quæ est voluntaria quædam
promptitudo ad Dei cultum & famulatum: non
enim qualiscumque voluntas serviendi Deo, vel
oblato ad ejus famulatum, meretur nomen de-
votionis, sed illa tantum quæ cum promptitudi-
ne & fervore spiritus conjuncta est: unde prom-
ptitudinem illam cum devotione jungit Scriptura
Exodi 35. ubi sic dicitur: *Egressusque omnis multi-*
tudo filiorum Israël obulerunt mente promptissi-
mâ atque devotâ primitias Domino. Utamque
etiam SS. Patres simul conjungunt, ut Ambro-
sius lib. 1. de Cain & Abel cap. 8. ubi de Abraham
Patriarcha loquens sic ait: *Adhuc cognosce celo-*
ris studia devotionis. Currebat, inquit, & acce-
pit vitulum unum tenerum & bonum, & dedit
puero, & festinavit facere eum. Vtique impigra
devotio, & idèò fuit munus ejus acceptum. Talem
verò devotionem, & animi promptitudinem, in
his quæ ad Dei obsequium pertinent, esse actum
religionis formaliter & propriè, probat S. Tho-
mas loco citato quæst. 81. art. 2. hoc discursu. Ad
eamdem virtutem pertinet velle facere aliquid, &
promptam habere voluntatem ad illud facien-
dum; quia utriusque actus est idem objectum &
motivum formale: Sed operari ea quæ spectant
ad Dei cultum & famulatum, pertinet propriè ad
religionem: Ergo ad illum quoque pertinet habe-
re promptam voluntatem ad illa exequenda,
quod est esse devotum.

Neque valet, si dicas, illud multò magis per-
tinere ad charitatem, quæ nos impellit ut Deo
nos totos tradamus, illique toto corde, totâ ani-
mâ, totâ mente, totisque viribus adhareamus,
& serviamus. Respondetur enim, diversum esse
utriusque virtutis motivum: nam charitas inten-
dit Deo ut amico placere, illique ut tali nos uni-
re, & ad bona opera prompto & ferventi animo
exercenda impellit, quatenus illa Deo grata sunt;
religio verò intendit Deo servire propter supre-
mam ipsius excellentiam, cultu & honore su-
premo dignam. Similiter licet spes, obedi-
entia, gratitudo, & aliæ quædam virtutes nos in-
clinent ad famulandum & obsequendum Deo, id
tamen faciunt ex alio motivo, quàm ex sola spe-
ciali honestate, quæ est in ipso cultu divino, si-
ve quia Deus ob supremam suæ naturæ excel-
lentiam est dignus cui prompto animo servire
velimus.

Secundus actus internus religionis est oratio, ut
docet S. Thomas hic quæst. 83. art. 3. ubi sic dis-
cursit: *Ad religionem propriè pertinet, reveren-*
tiam & honorem Deo exhibere; & idèò omnia illa
per quæ Deo reverentia exhibetur, pertinent ad
religionem: per orationem autem homo Deo reve-
rentiam exhibet, inquantum scilicet ei se suby-
cit, & proficitur orando se eo indigere, sicut au-
thore suorum bonorum: unde manifestum est quòd
oratio est propriè religionis actus.

Ut hæc doctrina clariùs percipiat, & decla-
retur quâ ratione oratio, quæ pertinet ad intel-
lectum, utpote quædam interna locutio & mani-
festatio, sit propriè actus religionis, quæ refidet

in voluntate, cum sit pars potentialis iustitiæ ob-
servandum est cum Cajetano hic quæst. 81. art.
4. D. Thomam in assignando virtutibus proprios
actus potius respexisse ad identitatem ipsarum
virtutum, quam ad identitatem potentialium: &
ideò omnem actum qui non respicit nisi unicam
virtutem, appellat proprium talis virtutis, in
quacunque potentia sit. Quod si plures virtutes
respiciat, illius vocat proprium, à qua habet pri-
mam speciem boni & virtuosi actus, ac proinde
cujus finem primario respicit. Hac ratione idem
S. Doctor supra quæst. 3. art. 1. confessionem ex-
ternam dicit esse actum proprium fidei, quamvis
illa sit in potentia externa, & hæc in intellectu;
quia prima bonitas talis confessionis ex fide est,
& ejus finem respicit, non verò ex alia virtute. Et
generaliter omnes actus externos, sive virtutis,
sive vitij, attribuiamus ut proprios illis habitibus,
à quibus sumunt primam speciem deformitatis,
vel rectitudinis, ut confessionem temperantiæ,
externum luxum luxuriæ &c. non curando an sint
in eadem potentia, vel in diversis. Quia ergo pri-
ma & essentialis bonitas orationis tota est à reli-
gione, quia est bonitas reverentiæ & cultus, ora-
tio dicitur propriè actus religionis, quamvis sit in
distincta potentia. Et ex hoc dicitur etiam actus
religionis elicitive, quia ut bene observat Bannez
supra quæst. 3. citatà, & Alvarez 1. 2. disp. 92. du-
pliciter potest aliquis actus dici elicitus ab aliqua
virtute; vel propriè & strictè, quia est immediata
ejus operatio, ac proinde manet in eadem poten-
tia; vel largè, ex eo solum quod non sit medià alià
virtute, quamvis mediet alià potentia; dicitur
enim talis actus elicitus, quia non est propriè im-
peratus: nam actus propriè imperatus ab aliqua
virtute dicitur ille, qui fit medià alià virtute eli-
ciente; sicut actus qui elicitor ab humilitate pro-
pter Deum, dicitur imperari à charitate; & ideò
ubi una tantum est virtus, qualitercumque influat
in actum, dicitur hic procedere ab ea elicitive.
Hoc secundo modo oratio dicitur elici à religio-
ne, primo verò devotio, quæ in voluntate exis-
tit.

6. Oratio definitur *Petitio decentium à Deo*. Sub-
jacetur verò in intellectu: quia orare, quantum
ad substantiam actus, nihil est aliud quam inter-
num nostrum conceptum ad Deum ordinate, ipsi
exprimere, intimare, ac notum facere; quod est
munus intellectus: quare si quis solà voluntate
desideret, non tamen ordinet in Deum deside-
rium suum, intellectualiter illi loquendo, non
erit ibi vera oratio; sicut in oratione externa
non sufficit appetitus boni, nisi ille verbis &
locutione ei cui oratio fit manifestetur. Unde
alii sic definiunt orationem: *Oratio est desiderij
coram Deo explicatio, ut aliquid ab eo impetre-
mus.*

7. Quatuor verò in oratione velut partes integra-
les numerat Apostolus 1. ad Timoth. 2. *oratio-
nem, postulationem, obsecrationem, & gratiarum
actionem*. Nam qui orat, primò accedit mente ad
Deum: & hæc pars vocatur ab Apostolo specia-
liter *oratio*, soletque pro ea sumpta oratio defini-
ri: *Ascensus seu elevatio mentis in Deum*. Deinde
petit exprimendo suum desiderium: & hæc dicitur
postulatio, vel *supplicatio*. Tertiò propo-
nit rationem impetrandi ex parte Dei, quæ est
ejus sanctitas, & Christi merita, per quæ peti-
mus exaudiri: & hæc dicitur *obsecratio*. Tandem
adhibet rationem impetrandi ex parte nostra: &

A hæc est gratiarum actio; quia de acceptis bene-
ficiis gratias agentes, impetramus potiora. Hæc
D. Thomas hic quæst. 83. art. 17.

Dignitatem, efficaciam, & necessitatem ora-
tionis, mirum in modum SS. Patres commendant,
ut frequens illius exercitium fidelibus persua-
deant. Dionysius Areopagita lib. de divin. no-
min. pulcherrimo symbolo, & erudienti hiero-
glyphico aureæ catenulæ è cælis emissæ, ad syde-
ra, & ad ipsum Deum nos trahentis, orationem
depinxit & adumbravit. Ei concinit Clemens Ale-
xandrinus lib. 7. Stromatum, ubi rationem assign-
ans, cur primi cultores Christianæ religionis,
manibus in cælum elevatis orarent, subiungit: *Et
promptitudine & alacritate spiritus assequamur
essentiam, quæ apprehenditur intelligentiæ; una
cum verbo corpus à terra educere conantes, erectam
& elevatam animam desiderij meliorum cogimus
in sancta progredi, magno animo corporis vincu-
lum despicientes.*

B Chrysostomus lib. 2. de orando Deum, docet
quòd sicut corpus humanum absque nervis motum
aliquem habere non potest, ita neque anima
absque oratione, subindeque quòd anima ora-
tione destituta, est veluti paralytica. *Quemadmo-
dum (inquit) corpus nervis coheret, currit, stat,
vivit, & compactum est, adeò ut si nervos inci-
das, universam corporis harmoniam dissolves: ita
anima per sanctas preces sibi constant & compin-
guntur, ac pietatis cursum faciliè peragunt. Quod
si te ipsum destitueris precatione, perinde feceris
ac si pisces ex aquis extraxeris: ut enim pisci vi-
ta est aqua, ita tibi deprecatio. Per hanc datur
velut ex aquis subvolare, cælumque transcendere,
ac prope Dominum fieri.*

C Bernardus serm. 49. in Cantica asserit quòd
oratio est cella vinaria, in quam Sponsus introdu-
cit Sponsam, hoc est animam dilectam, & ubi
inebriatur vino devotionis, quod lificat cor, &
torrente voluptatis potatur.

Augustinus serm. 126. de tempore: *Oratio ju-
sti (inquit) clavus est cæli: ascendit precatio, &
descendit Dei miseratio. Licet alta sit terra, altum
cælum, audit tamen Dominus hominis linguam, si
mundam habeat conscientiam. Et alibi in laudes
orationis totus effusus, sic exclamat: Quid ora-
tione praeclarior? Oratio est anima sancta prest-
idium, Angelo bono solatium, Diabolo supplicium,
gratum Deo obsequium, columna sanctarum vir-
tutum, anima scala, fundamentum fidei, religio-
nis laus, perfecta gloria, spes certa, sanitas in-
corrupta. O oratio sancta! beatus qui te amat, sed
beatior qui te frequenter.*

E Denique Cassiodorus ad versum illum Psalmi
140. *Dirigatur oratio mea sicut incensum in con-
spectu tuo*, hæc scribit: *Incensum est odoriferi
pigmenti suavis adustio, quæ carbonibus concre-
mata, gratissimum fumum porrigit ad superna,
& odorantes delectabili jucunditate permulcet:
sic fidelium oratio, igne charitatis incensa, divi-
nis conspectibus ingeritur, quæ magis humiliatis
& compunctionis pondere sublevaritur. Virtutibus
enim Dominus nostris, tanquam bonis delecta-
tur odoribus; nam & orationem sanctam velut
odorem suavissimum suscipere Dominum in Apo-
calypsi legitur, ubi dictum est: Stetit Angelus
super aram Domini, habens thuribulum aureum
in manu sua, & ascendit fumus supplicationum
de manu Angeli in conspectu Domini, ut da-
ret de orationibus Sanctorum. Aut ut vulgatus*

rextus habet: *Sietis Angelus ante altare, habens thuribulum aureum, & data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus Sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum Dei; & ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum, de manu Angeli, coram Deo.*

Ad eundem Psalmistæ versiculū egregiè observat Bellarminus, qualitates bonæ orationis rectè designari similitudine Thimiamatis, quod offerebatur in tēplo ex præcepto Dei mane & vespere, ut habetur Exodi 30. *Illud enim (inquit) has habebat qualitates: Primò cōstabat ex quatuor generibus ornatum, nimirum thure galbano, oniche, & stacte, ut monet S. Hilarius: hinc efficiebatur odor suavissimus. Secundò offerebatur in templi parte nobilissima & interiori, quæ dicebatur Sancta Sanctorum, ubi erant tabule Testamenti, & altare aureum. Tertiò offerebatur per Summum Sacerdotem. Quariò ponebatur super ignem, & inde excitabatur fumus rectū sursum ascendens. Quatuor aromata sunt quatuor virtutes, fides, fiducia, charitas, & humilitas. Ex his componitur oratio Deo gratissima. Templum Dei est homo. Vos estis (inquit Apostolus) templum Dei, 1. ad Corinth. 6. sed pars interior est anima, in cuius mente est lex Domini, digito Dei scripta; & in cuius voluntate est altare aureum, cor videlicet mundum, & ornatum gratiā Dei. Summus Sacerdos est Christus: per illum enim, ut Advocatum nostrum, semper orare debemus, & idē singulas preces sic concludimus: Per Dominum nostrum Iesum Christum. Denique ignis, qui fumum suavissimum, & directū sursum ascendentem excitat, est fervor desiderij: sed in recta ascensione notatur recta intentio, & iugis attentio. Qui enim orant ut videantur ab hominibus, illi aurā temporali detorqueant incensum, ut non rectā ascendat: illi etiam qui evagationes mentis habent, non dirigunt orationem ut debent; evagationes enim veluti status ventorum disfrabunt & dissipant fumum orationis, ut non rectā sursum ascendat; & quia valde difficile est liberari ab omni evagatione mentis, idē Propheta huius rei meminit, dicens: Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. Hæc Bellarminus.*

ARTICVLVS III.

De actibus externis religionis.

Præter duos actus internos religionis, jam explicatos, plures sunt externi, nimirum adoratio, sacrificium, oblatio, votum, iuramentum, adiuratio divini nominis, ejusque per laudem assumptio: de quibus breviter hic agendum est.

Adoratio definiri potest: *Honor externo corporis gestu Deo exhibitus.* Relicta enim questione, an sit verè & propriè adoratio illa quæ interius in sola mente concluditur (quam tractat Vazquez tomo 1. in 3. p. disp. 93.) actio illacui nomen adorationis per prius accommodatum fuit, est quæcumque actio exterior, per corpus exercita, ad significandum internam reverentiam & venerationem, cuiusmodi sunt genuflexio, discopertio capitis, corporis inclinatio &c. Quamvis enim actus isti externi, secundum se præcisè, ad bonum & malum sint indifferentes, ac proinde ad religionem non pertineant, nisi ut respiciunt internam devotionem, & possint adoratio appellari;

Tom. IV.

ipsum tamen adorationis nomen non tribuitur actui interno, nisi in ordine ad prædictos motus, & ut eos includit: sicut nomen restitutionis non tribuitur absolute voluntati restituendi, nisi in ordine ad exteriorem actum, vel potius tribuitur ipsi externo actui, ut stat sub tali voluntate.

Porro hæc obligatio colendi Deum externā adoratione, juris est naturalis: Tum quia ex duplici natura compositi sumus, intellectuāli scilicet & sensibili, idēque duplicem adorationem Deo offerre tenemur, nimirum spiritalem, quæ consistit in interiori mentis devotione, & corporalem, quæ consistit in exteriori corporis humilatione, ut discurret S. Doctor 2. 2. quæst. 84. art. 2. in corp. Tum etiam, quia cum homines socialiter vivant, debent non solum Deo, vel Angelis, sed aliis quoque hominibus, suam erga Deum submissionem significare, seque esse veri Dei cultores & adoratores, quod facere nequeunt per actus purè internos & spirituales, hominibus incognitos.

Sacrificium est oblatio rei sensibilis, à legitimo ministro Deo facta, per realem immutationem, ad testandum supremum illius dominium, in vitam & in mortem.

Dicitur primò oblatio, quia hæc largè sumpta, est genus ad sacrificium & simplicem oblationem, nam in omni sacrificio aliquid Deo offertur. Additur rei sensibilis, ut excludatur interna oblatio, quæ mens se Deo offert, quæ non est propriè sacrificium, licet interdum in Scriptura hoc nomine appelletur, ut Psal. 50. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* Subditur à legitimo ministro, quia cum sacrificium sit excellentissimum & publicus Dei cultus, par est ut non fiat nisi à persona, publicā auctoritate ad id destinata, qualis est Sacerdos. Hinc Othas Rex, cum non esset Sacerdos, & tamen sacrificium offerre vellet, à Deo punitus est, & leprā percussus, quod Sacerdotis officium usurparet 2. Paralip. 2. Additur Deo facta, quia sacrificium soli Deo debetur, nec huiusmodi cultum licet ulli creaturæ offerre. Per realem immutationem, quia ea quæ sacrificantur, in ipso sacrificio immutari debent, vel mactatione, vel combustione, vel fractione, &c. ut sic melius significetur illud offerri Deo, ut primo principio totius entis, qui potest suo supremo dominio res creatas destruere. Reliquæ particulæ, ad testandum supremum illius dominium in vitam & in mortem, positæ sunt ad declarandam specialem rationem cultus, qui per actum sacrificandi intenditur & exhibetur, nempe ut proficamur Deum esse authorem nostri esse, & dominum vitæ & necis; illaque hostiæ destructione, quasi vice nostri oblatæ, protestemur nos quidquid sumus illi debere, dignumque esse, ut si opus foret, & si ipse vellet, totum in ejus honorem insumeretur. Cum enim ut rectè dicit Eusebius lib. 1. demonst. Evangelicæ cap. ultimo, naturali ratione viderent homines suam se vitam Deo debere offerre; quia tamen non conveniebat, neque Deus permittebat homines ipsos sacrificari, lege naturæ introductum est, ut homines vice sui ipsorum, animalia, vel alias res sensibiles Deo immolarent, protestando se eodem modo vitam suam oblaturus, si oporteret.

Ex his intelliges differentiam quæ reperitur inter adorationem, oblationem simplicem, & sacrificium: nam adoratio exhibet cultum Deo tanquam superiori, unde per illam homo suam erga Deū submissionem significat: oblatio, ut domino

Aa ij